

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 34. (*Neovidensis* 1806. Nro. 27.)

---

*Camporum Elysiorum*  
Dissertationem  
suppleat Meditatio sacræ hebdomadæ ac  
comoda.

---

Elysium.-- Meum. -- Die Veneris 18. April 1806. (Neov. I. April.)

---

Textus sacræ Scripturæ :

Jesus cruci affixus ait: *Consummatum est*, & inclinato capite emisit spiritum.  
Joan. c. 19. v. 30

**A**dveniunt dies memoriæ cruciatuum nostri Magistri; Recordatio mortis Jesu Christi. Pluribus jam quam 18 sæculis mœrebant hac die Christiani; est illa dies luctus justorum.

O Probi! estote concordēs; O Justi! accedite ad sepulcrum. Fle hodie, filia Sion! Est dies anniversaria propudiosæ mortis nostri Servatoris.

Nova Sapientia sustulit caput versus cælos; restitit doctrinæ Christi, eam exsibilavit; disruptit vincula animi affectionum, eorum frænâ pedibus conculcavit, unde rivi fluxerunt iniquitatum, & non nisi pauci perseverarunt veri Christiani.

Estote concordēs vos probi! Doctrina novæ sapientiæ est stultitia, noster Magister ve-

nit, non cum exercitu, & victoricibus armis, sed in multa patientia, toleravit infamiam, & injustitias, in cruce mortem oppetiit. O Christi asseclæ! Hæc est imago vitæ humanæ, plurâ ille pertulit, quam nos patiamur, ut nobis exemplum daret.

Si ille ut victor venisset, si in palatiis, atque arcibus habitasset, si eum morti vicinum, lecto jacentem medici, & aulici circumdedissent; Ætatis nostræ sapientes hoc illi crimini dedissent: Splendide vitam finiuit.

Si sibi thronum erexisset, capiti suo coronam imposuisset, dixissent: Invisit tantum Reges, & Principes; moribus communis populi non est conveniens Regia ejus doctrina.

Si de cælo thesauros, argentum, & aurum attulisset, & inter suos discipulos eorum ditandorum gratia distribuisset, exclamassent: Voluit tantummodo feliciôres beare, ubi tamen longe major est numerus pauperum, quam divitum.

Si ille instar Attilæ, vel Mahometis ad amplectendam suam doctrinam homines vi, & armis coegisset, exprobrassent eidem: ipsum sibi jus fortioris arrogasse, suaque principia gladio propagasse.

Si inter eruditôs fuisset educatus, si inter suorum temporum Sapientes juvenilem ætatem traduxisset, si Platone, vel Socrate, vel Seneca usûs fuisset Magistro, propugnassent, illum optima ex eorum scriptis extraxisse, & in unum systema redegegisse.

Stupete o Christiani! stupete hoc miracu-

lum! Ille nec divitijs, nec magnificentia afflu-  
bat; nec victor erat, nec usurpator, nec alum-  
nus eruditorum illius temporis, nec discipulus;  
cum paupertate conflictabatur, vitam agens  
cum inopibus, nullius unquam Philosophi au-  
divit placita, & tamen plura, subtiliora, &  
feliciora docuit, quam omnes sapientes.

Tradidit doctriam de feliciore vita futura,  
quam Docti quasi per nebulam tantum videbant;  
aperuit cœlos; certa declaravit præmia, & cer-  
tas pœnas, explicuit jura æternæ justitiæ, sed  
illa etiam illico infinitæ misericordiæ gratia  
emolivit. O divinum Magistrum!

Olim Alexander Magnus, uti ejus Bucepha-  
lus sine omni spe mortui sunt; Julio Cæsari ade-  
mit vitam sica, sicut ejus canes venatici leoni-  
bus. Nero se enecuit, exemplum secutus sui  
Magistri Senecæ. Cœlum non patebat, igno-  
rabantur præmia, & pœnæ. Domitianus, & ejus  
canis parem habuerunt exitum.

Ad quid coluissent virtutem mortales? cur  
injecissent fræna cupiditatibus? quem in finem  
ignovissent inimicis? quare floruissent justitiæ  
laude? Quam ob rem se pro aliis immolassent?  
Qua de causa vitam ad omnem honestatis legem  
exegissent? — Post mortem nulla voluptas.

Qui Christum sequimini, estote concordēs,  
& audite: Adveniēns noster Magister, graves  
dictavit pœnas infrunitis animi affectionibus,  
præcepit veniam esse dandam inimicis, Princi-  
pes, & mendicos pares fecit coram æterna justi-  
tia, prohibuit libidinem, pollicitus est infelicibus

consolationem, & oppressis salutem; — Aperuit cœlum, ubi ejus Pater dominatur.

Mors non est amplius mors; ibi æterna est vita, hic tantum peregrinatio. O Christiani! gaudete sub cruce: Qui moritur, jam non moritur.

Throni evertuntur, Regna dissipantur, provinciis vastitas inferitur, Propugnacula: Valentianum, Mantuanum, Moëuntinum, & Genuense expugnantur, ipsa Gibraltaria non est secuta; vis humana est, quæ ita furit. Sed si Dominus extendat suam manum, omnia prostrata jacent; potentia vertitur in pulverem.

Potestas exiguo tantum tempore durat, veritas est æterna. Quidquid vanum est, sub cruce evanescit. Nos Christi doctrinam profitentes peregrinamur ad æternam patriam, hæc cogitatio nos solatur, & est æterna.

Hæc noster Magister in cruce nobis patefecit! *Hodie adhuc mecum eris in paradiso.* Mors est tantum transitus ad vitam æternam.

Enimvero quomodo posset justissimus improbum, & probum tempore mortis eodem pede metiri? estne is, qui pœnam meretur, cum illo, qui remunerationem sperat, illico in nihilum redigendus? nullumne virtutem inter, ac vitium discrimen? Et hoc ita instituisset justissimus?

Ideone nobis dedit rationem discernendi bonum a malo, ne quidquam horum eligamus? Homines ædificant templa, & splendida ædificia, imitantur tonitrua cœli, scandunt ad superas regiones in globis aërostaticis. Animalia eo-

dem modo, quo ante sæcula, nidificant, & petunt pascua. Ubi magis elucet determinata voluntas, ubi finis sapientissimi?

Et tamen audet effutire incredulus: Hæc est illusio. Væ illi in infelicitate, væ in fine vitæ; Mors illi est vera mors.

Peregrinus exultat, si donum revertatur, si a longe jam conspiciat locum habitationis; gaudio afficitur se posse domesticos amplecti. Ibi penes nostrum Magistrum est patria Christianorum; ibi nos iterum videbimus, amabimus, & fidem conservasse gratulabimur. A mysteriis nostræ religionis alienus intuetur tantum sepulcrum in terra, ubi eum vermes, & putredo expectant. Quæ spes est felicior? quæ, etiamsi imponeret nobis, magis erigit animum?

Adesto ad crucem, superbe homuncio! excipe veritatem Magistri; non loquitur de throno, non minatur sceptrum tenens manu, aut corona aurea redimitus, loquitur de cruce, innocuæ ejus manus transfixæ sunt clavibus, corona est ex spinis contexta! te affatur, condonat omnibus illatas injurias — etiam pro te precatur.

Ejus doctrina spargit universalem benevolentiam, afflictos recreat, pauperes solatur, & instillat erga eos benignitatem, magnum facit in oculis justis eum, qui opprimitur, dirumpit catenas mancipiorum, obscurat splendorem divitiarum, & inflatæ magnitudinis; deprimit superbos, spe, tranquillitate, & gaudio replet casas miserorum, Palatia autem mordentibus curis. Produce, si potes ex universa mundi Historia, similem huic doctorem!

Hoc tu nominas blaterationem sacerdotum; sed, quæso, plusne tu vides, quam per 18. sæcula tot fide digni testes, tot omni genere scientiarum exculti viri? Tua persuasio est superbia. Intuere crucem, hæc tuam animam, antequam a corpore separetur, excitat ad vitam æternam.

Christi doctrinæ addicti! estote concordēs; temporibus calamitosis, & iniquis non nisi pone crucem — typum nostrarum miseriarum — reperimus levamen.

Sacræ hujus hebdomadæ diebus cernimus templa luctu obducta, quæ Christiani dolori immersi ingrediuntur, atque oculos in pendentem e cruce servatorem defigunt.

Sic extinctus est justus, sic diem obiit Christus. Reges & Principes, pauperes, & mendici, Nobiles & ignobiles adite hunc Magistrum; ille affirmabit, vos iterum in vitam redituros, & victuros in patria felicitatis.

Non est beatitudo in splendidis ædificiis, non in fulgore dignitatum, nec in divitiis. Providentia omnem statum inquietudine aspersit. Conatus ad majorem felicitatem est animæ nostræ insitus; Ubi illa exsatiabitur?

Quid? nos erramus, qui credimus dari præmia, & pœnas? qui offensas condonamus? qui alios ita, sicut nosmet ipsos diiugimus? qui cœlestia gaudia expectamus? — Nos a recta deflectamus via?

Doctrina Christiana, in paupertate nata, persecutionibus nutrita, & infami morte sui Magistri signata, se per universum moralem orbem diffudit, Eam Reges, & Principes, magnæ, & parvæ nationes, docti, & indocti agno-

verunt, receperuntque, & hodie luctu repleti consistunt ante sepulcrum Servatoris, eique se totos devotent. Nullumne est hoc miraculum?

Fuitne aliquando secta philosophica, in quam tot, ac tanti consensissent, quæ tam late patuisset, quæ tam multorum animos occupavisset?

Eratne aliquod systema religiosum ita diuturnum? — Omnia interibunt, sola veritas manebit. Numquid non cadunt modo regna, atque urbes?

Providentia humiliat integram nationem; Ventus sic dictus politicus inflectit Respublicas, velut arbores, easque evertit una cum radice. Infelici populo nulla superest spes in his terris — coelum supra crucem ostendit ei feliciter patriam.

Obnitebantur providentiæ victores hujus mundi, dicentes cum quadam animi elatione: Nos sumus dominatores. Verum vix in illos providentia conjecit oculos, & jam opera Frederici Magni, Ludovici XIV. Caroli V. Imperatoris, & aliorum, tam veterum, quam recentiorum in fumum abierunt. Coelum autem Christianorum hucdum manet apertum.

Ita antiquae Germanorum arces comminutæ sunt, novae autem labefactatae; Victorias novus consequitur ordo. Heroes praedicant sua facinora, aliorum lingvæ moventur ad ea celebranda, omnium cogitationes reguntur eorum consiliis.

Homines autem suspirant; O vos omnes, qui hic fletis, considerate futuram vestram patriam, vestra peregrinatio vos ad eam ducit; alia ibi durabilior, & felicitior est vita. E cruce pendet dux itineris.

In mortem ejus, & vestrum praesentem statum edite canticum lugubre; Filia Sion!

esto magno, ac forti animo, brevi transibunt ista. Quid est vita humana comparate ad aeternitatem?

Et vos probi! estote concordēs; vos vos ibidem iterum videbitis — non obruti miseriis humanis, sed coelesti ornati magnificentia, quae nobis in cruce promissa est.

Ibi conveniemus; Pater & Mater amplexabuntur suas proles; amici se salutabunt; omnes comparebimus pares, & iisdem instructi iuribus coram eo, quem hic in cruce conspeximus; Ille nos iudicabit, ille bonos a malis sejunget, & nos lateri ejus adhaerebimus.

Ille nos in suos introducet splendores; aeterna erit nova patria, perpetuo gaudio, quod hic nulla humana mens capere potest, afficiemur. Sustineamus adhuc paululum, & omnia superabuntur.

Laudate Dominum dominantium; coram eo exponite vestra desideria, ille est aeterna arx, quam nemo heroum oppugnare potest. Coelum, & terra, & quidquid videtur, & quod nec cadit in sensus nostros, est ejus opus, opus Omnipotentiae. Illi soli propria est potestas — Homo proterit vermem, se se incurvantem, unus vermis calcat alium.

Haec dicit dominus in suis operibus; Nunc vero in cruce inclinat caput, & (*Domine misere-re nostri*) inclinato capite emittit spiritum.

O homo! recogita hanc doctrinam, refer ejus vitam ad tuas actiones. Humanas ille miseras pertulit, ut tibi exemplo esset. Sed jam devicta morte revixit ad gloriam, quam promiserat. Tua mors erit novae, felicioris vitae initium.

Vos probi! estote concordēs, & fundite preces: Deus, libertatis nostrae assertor; consolare nos afflictos!